

18 In Hip. de Aëre, Aquis, & Locis.

similes, quia si dignoscuntur ex his quatuor, & haec quatuor sunt communia, igitur omnes morbi illius regionis erunt similes, quod est falsum. Et quamvis Alemanus multa dicat praecolla inter quae distinctionem illam quadruplicem morborum communium in simplices velut febres & alii profluvia, & in Epidemios, velut disenteria, sanguinis eruptiones, tusses, peripneumoniae, morbi laterales & in pestilentes, ut febris pestilens, carbunculus, bubones exitiales, sudor Anglicus, angina, phrenitides aliquoisque. Et in Endemios, ut phthisis Lusitanis, Aruma Hispanis hydrocelae, Galliae Narbonensi podagræ, Mediolanensisbus elephantiasis, Scotis & maximè Hibernis, non tamen dissoluta difficultatem, quoniam non ob hoc scimus naturam morborum, conatur autem sic euadere quod postquam nescimus temperaturam propriam bonum est & necessarium, saltem scire communem quæ dignoscitur ex quatuor illis supradictis, atque ita videtur effugere difficultatem, nam dicit, peregrinus homo non potest cognoscere temperaturam propriam: sed hoc non satisfacit de morbis & causis morborum: esset enim stultum non solum inhumanum mederi quemquam non cognito morbo nisi per coniecturas vniuersales. Propterea possumus respondere, interpretando verba Hippocratis trifariam, vel de generalibus tantum morbis, vel sporadicis, ut sunt iidem generalibus, vel ut possunt intelligi sine his generalibus. Quod ad primam expositionem attinet dico, quod Hippocrates intelligat de morbis vulgaribus, sicut explicat in sequentibus, ad hos enim morbos solent vocari præclari medici, ut ipse vocatus est in Asiam, & ad Paenam ad quos noluit ire tanquam inimicos Græcorum: & ad Athenenses propter pestem, ad quos misit Thessalum filium, ipse ire non potuit. Et Curtius ætate mea Vincentiam, quamvis male fortunatus fuerit in curando. Igitur haec expositio est latissima congrua: quoniam vocantur tales medici, quia proprie nesciunt curare morbum illum, et quod non cognoscunt causas, & curatio fit amouendo causas, & per contraria causarum: & etiam quia non possunt perfectè cognoscere vim illius morbi. Exemplum contingit, quod in aliqua ciuitate sicut sèpè euenit quod multi moriuntur ex morbo lateralí contracto ex pluvia collecta, sicut fuit tempore Thucydidis, ut refert Diodorus Siculus in fossis iuxta Athenas, inde succedente æstate & ventis, ægri omnes moriuntur: medici patriæ putant illud cōtingere (nescientes hanc causam) vel quia abscessus in illis magni, vel quia sectio venæ non fiat in loco conuenienti: & ita unus mittit sanguinem ex una vena, aliis ex alia, & tantum abest ut proficiant, ut etiam valde laudent: addentes malum malo, & similiter alij putant contingere ratione vietus, & tentant alios cibos, utpote carnes, ferula, aut nimiam inediam: & ita plures manent & celerius, medicus ergo haec noscens euacuatis fossis, accensis multis ignibus, suffitibus odoratis poterit liberare eos, & haec est perfecta solutio, & credo quod sit ad mentem Hippocratis. Secunda est ut dicamus quod intelligat de morbis propriis: hoc modo, sci-

licet quod presupponat eosdem morbos esse sporades & communes, & hoc videtur velle Hippocrates, & cum omnes sint sub eadem forma, utpote tertianæ aut quartanæ, tunc vocantur omnes simplices vel epidemij vel pestilentes vel endemij, & hoc videtur velle omnino, quia dum connumerat morbos ætatum & temporum & locorum, nullum genus morbi excludit, ergo vult quod sporades continantur sub communibus. & sicut constitutiones generales, sub quibus etiam intelliguntur ætates & sexum & res naturales, ut se declarat Hippocr. in 3 Aphor. & 1. & 3. Epidem. sunt indicia morborum communium ita propriæ priorum & sporadicum, & hoc superlucramur amplius: post cognoscendo per vniuersales causas, cognoscimus more diuino, & ita longè melius, quam qui sciunt per propria vocata signa & specialia, & ita Hippocr. docet utramque cognitionem morborum & signorum & causarum in hoc libro.

Tertia expositio est magis subtilis & Hippocrate digna: & est quod morbi non possint cognosci per propria signa, nisi cum auxilio cognitionis temporum, locorum, & similiū. Et iuxta hoc videtur Hippocrates presupponere quatuor cognoscenda, morbum per propria signa, naturam ægri per propria signa, & utrumque horum per signa generalia: quæ sumuntur ab illis quatuor propositis. Et quod dico de signis, dico de curatione. Cum enim sint tria consideranda in quolibet ægro, naturalia, præter naturam & contra naturam: cumque res haec non naturales sint causæ neutræ, ut in Arte Medica, (cap. 85.) illæ erunt cognoscendæ trifariam, ut cognoscuntur res naturales, quæ ab illis pendent: ut res præter naturam, & ibi morbi causæ, symptomata: & ut possunt esse instrumenta curationis. Ergo sub hoc sensu erit utilitas triplex cognitionis causarum vniuersalium, & adeò clara, ut non indigemus nisi declaratione huius: quomodo morbus non possit cognosci per signa propria. Ideo dico, quod mens Hippocratis (pag. 3.) in lib. de Arte est quod morbi interni raro cognoscantur perfectè, & non statim. Quoniam ergo nos indigemus curatione morbi statim, id est etiam indigemus illa cognitione quæ fit per coniecturas generales. Illud idem declarat prima Aphorismorum (12.) cum dixit: Accessiones verò & constitutiones indicabunt & anni tempora: igitur anni tempora faciunt ad dignoscendos morbos. Sed iam proprius accedamus, est aliquis qui habet virginem vrinæ, habitans in regione calida & sicca cum aquis puris, & victus eorum qui ibi habitant est sobrius, multum exercentur, vescuntur auibus, pane leui: alius similiter eodem symptomate tenetur, vivunt ibi multo caseo, plurimum comedunt, sunt ociosi, bibunt aquas turbulentas, calidas atque stagnantes: Dicemus cum sciamus apud eiusmodi homines esse multos qui patiuntur cálculum vesicæ apud illos, motum bilis ad vrinam hunc laborare lithiasi, illum virgine ex bile ad vesicam descendente. Rursus, duo sunt qui patiuntur tussim, difficultatem spirandi, dolorem in latere dextro, febrem acutam. Primus degit in malo aëre, utitur exercitatione multa, cibis biliosis, est iuvenis, colore flavius non